



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 18. Selimi Turcarum Imperatoris victoriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

bris diem indicere, ut Prælati, alique vocati commode ad sacrum Lateranense Concilium venire possint. Eadem tamen Sessio postmodum ad vigesimam tertiam Martii prorogata est: cum vero argumentorum gravitas, quæ in eo pertractanda essent, amplius temporis spacium pro matura discussione exposceret, Sessio rursus ad quartam Maji diem Anni sequentis millesimi quingentesimi decimi quinti differebatur; unde prorogationis literæ ad valvas Ecclesiarum S. Petri & S. Joannis in Laterano die vigesima secunda Martii affigebantur.

## §. XVIII.

*Selimi Turcarum Imperatoris  
victoriæ.*

Interim Selimo Turcarum Imperatori cupiditatem, qua imperii sui fines protendere anhellabat, satiandi materia nunquam deerat, ipsa animi sui fortitudine magnis conatibus adspirante. Jamjam Mammelucos numero exercitu aggressus prostravit, fugavitque. Inde victoriam arma in Persidem circumferens, cum Ismaele Sophi die nona Octobris hoc anno magus conferuit, dudum ancipiti eoque atroci prælio dimicans; tandem vero plena victoria Persarum Regem profligavit, qui, cum recentem exercitum

*Chalcond. in  
hist. Turc.  
l. 13. n. 8. 13.  
Bemb. l. 10.  
ep. 5.  
Rec. Bizar.  
rer. Pers. l. 10  
In collect.  
rer. Turcic.  
post Chalc.  
Lounclav. l. 7  
in Pandect.  
Turc. n. 215.  
Paul. Jov.  
in Selim.  
Raynald.  
hoc ann. n. 40.*

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXIII.*

C pro

**Sæcul. XVI.** pro futuro bello contrahere haud posset,  
**A.C. 1514.** mediam Regni sui partem Victorum ar-  
 bitrio reliquit. Verum inter Selimi triumphos ceteris facile palmam præripuit victoria, quam die vigesima sexta Augusti in Calderanis campis de Ismaele reportabat. Equidem hæc gloria plusquam suorum quinquaginta millibus Selimo stetit, imo e prælio redux Euphraten trajecturus, amissis belli tormentis majorem exercitus partem gladius & fuga abstulerat, nihilominus brevi suorum cladem pinguioris victoriæ quæstu reparabat; resumptis enim viribus Taurisium ac Kemnanam urbes armis subjecit, Aladuliam occupavit, ac devicto, trucidatoque Ustuaoglo Rege in Siriam contendit, ibique Campsonem Gaurum, Ægypti Sultanum haud procul Aleppo prælio vicit, cujus urbis cives, necnon Damasci totiusque reliquæ Syriæ incolæ ultro victoris imperium susceperunt: Inde vero Jerosolymam petens, totam Palæstinam subegit, fortissimi Sinan Bassæ ministerio usus, qui prope Gazam insignem prorsus victoriam reportavit. Post hæc Ægypti deserta victricibus suis armis emensus, Tomumbejum Mammelucorum Ducem haud procul Matheræa profligavit, eumque Cairum usque fugere compulit, ubi acerrimum utrinque committebatur prælium ad tres omnino dies,

dies, noctesque pertinaci dimicantium studio protractum, donec tandem penes Selimum victoriæ summa staret. Nec multo post Mameluci prælium restaurantes rursus cædebantur, in quo Tomumbejus capitur, ac strangulatus ad quamdam Cairi portam, quam Selimus occupaverat, suspenditur, demum tota urbs militum deprædationi integro triduo exponitur. Ultimo tandem Selimus Alexandriam, Pelusium, Tripolim, ceterasque Ægypti urbes expugnavit, easque in unam Provinciam redegit.

Sæc. XVI.

A.C. 1514.

## §. XIX.

*Selimus cum valida classe expeditionem in Italiam parans.*

Selimus tam secundo armorum successu inflatus, centum quinquaginta triremium classem paravit, hoc unum destinatum habens, prout ipse promulgari iusserat, ut omnes vires suas in Europam effunderet, totoque impetu in Italiam irrueret. Papa hoc nuncio vehementer territus, cum Cæsarem, Venetosque indomitam Turcarum vim repellendo impares intelligeret, ad utrumque speciatim Oratores ablegavit, quos inter illi, qui ad Rempublicam mittebantur, Venetis hæc exponebant: Vos minime latet, quod Turcis Italiam invadentibus, totus Christianus

Marian.

l. 30 n. 109.

Paul. Jov. in vita Selim.

Spond. ad ann. n. 7.